



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXV. Vtrum habitus purè deletius peccatorum sit propriè virtus, eaque
Pœnitentiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

suppositione accidentali peccati, vt liquet ex præmissa superius eiusdem motiui, & habitus declaratione. Discrimen igitur est manifestum.

Ad 6. Patet ex dictis circa 4. & præterea apparebit ex dicendis qu. 79. art. 3. & 7. quam sit re ipsa diuersus actus intentionis deletionis peccatorum ab intentione restitutionis, esto detur aliqua inter vtramque affinitas ex parte, vt dicitur ibidem.

Artic. 1. Ad 7. Habitus imprimis non multiplicatur ex multiplicitate specifica obiectorum materialium, sed quæcunque complectitur vnicum specie motiuium, pertinent eatenus ad vnicum specie habitum, vt apparet in omnibus communiter notis ac receptis virtutum habitibus ex communi, & certa sententia. Peccata autem sunt obiecta purè materialia respectu habitus purè deletiui ipsorum, & comprehenduntur vniiformiter sub ratione emendationis deletiue, quæ est motiuium eius habitus proprium. Ad eum vtiq; modum, quò omnes omnium virtutum actus comprehenduntur sub vna ratione formali durationis diuturnæ, sub qua proinde omnes terminant vnicum habitum perseverantiæ, quæ propterea est specialis, & vnica virtus circa omnes actus bonos. Differentia enim ad hoc vnum tota reuocatur, quòd virtus perseverantiæ respicit formaliter honestatem, & difficultatem peculiare, quæ insunt vltiori durationi cuiusque actus boni; Habitus verò purè deletiui peccatorum versatur formaliter circa honestatem, & difficultatem, peculiare, quæ reperiuntur in impediendi vltiori duratione, ac permanentia cuiusque peccati.

Artic. 2. Deinde actus imperfecti nullam habent vim demeritoriam, idèoque relinquunt post se permanentiam habitalem, affectiuam quidem sicut peccata, effectiuam verò, non nisi eam quæ in actiuitate physica ipsorum continetur. Constat autem ex dictis ad quæstionem artic. 2. & ex responsione ad quartum, ad tollendam vtramque eam perseverantiam sufficere virtutes directas elicitivas actuum contrarium; Nec inde superesse motiuium formale sufficiens ad fundandum aliquem habitum peculiarem purè reflexiuum: quale tamen fundamentum adest in actibus peccaminosis, vt liquet ex dictis in tota ista quæstione.

QVÆSTIO LXXV.

Vtrum habitus purè deletiui peccatorum sit propriè virtus, eaque Pœnitentiæ?

Videtur non esse. 1. Quia Philosophus 4. Ethic. cap. 9. dicit quod de verecundia vt de quadam virtute non conuenit dicere. Passioni magis assimilatur, quàm habitui. Et rursus ibidem addit, quod studiosi, idest virtuosus, seu virtutibus delicti, non est verecundia. Quorum non alia ratio est, nisi quia de conceptu verecundiæ est, vt præsupponat peccatum. Quia de causa subdit Philof. sub finem eius cap. Pudor probi viri esse nullo pacto potest; cum ob malas res exorietur. Est autem similiter de conceptu habitus purè deletiui peccatorum, vt præsupponat peccata, vtiq; ob ea exorietur. Ergò neque hic habitus est virtus.

2. Virtus definitur à Philof. 7. Phys. text. 17. *Dispositio perfecti ad optimum*. Perfectum verò definitur rursus ab eodem ibidem: *Quod est dispositum secundum naturam*; idest secundum exigentiam, & appetitum suum innatum; habitus autem purè deletiui peccatorum non est dispositio perfecti, seu dispositio secundum naturam. Quia est dispositio propria habentis

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

tis peccata; atque peccata non sunt secundum naturam, sed potius exigentiæ & appetitui naturali contradicunt. Ergò hic habitus non est virtus.

3. Non habet rationem virtutis, quod non potest inesse ei, qui est maximè virtuosus: sicut non habet rationem sanitatis, aut sapientiæ, quòd nequit inesse maximè sano, aut maximè sapienti. Habitus autem deletiui peccatorum non potest inesse nisi peccatori, vel saltem potenti peccare; quorum neuter est maximè virtuosus. Magis enim virtuosus est, qui nunquam, quàm qui aliquando peccauit, & magis adhuc, qui peccare nunquam potest. Virtus enim est contraria peccatis, & summa virtus, pœnitentiæ etiam peccandi; vt apparet in Christo Domino, & in beatis omnibus.

4. *Nullus est stultus eorum, qui sunt secundum virtutem*, vt habetur ex philof. 4. Ethic. Stultum autem est dolere de præterito, Quod videlicet fieri non potest, vt non fuerit. Eiusdem rationis est conari ad delendum præteritum, quòd iam non est de præsentis. Quapropter nulla opus est deletionem, vt non sit illud de præsentis; vt verò non fuerit de præterito, nulla deletionem fieri potest. Ergò habitus deletiui peccatorum non est virtuosus, sed stultus.

5. Habitus amatiui peccatorum nequit esse virtuosus. Habitus autem deletiui peccatorum, est amatiui eorum. Quia vult opus deletionis peccatorum, secundum rationem differentialem talis operis ab opere, quod non est deletio peccatorum. Opus autem delendi peccata, quatenus tale differt formaliter ab opere, quòd vel non est deletiuium peccatorum, vel intenditur, vt præscindens à vi deletiua eorum hic, & nunc. Differt inquam formaliter per præsuppositionem peccatorum. Necessè igitur est, vt qui intendit deletionem peccatorum, quatenus, talem formaliter, eo ipso velit, quòd præexistere peccata, atque idè est necessè, vt afficiatur ad illa. Quòd ex eo præterea confirmatur, quia qui vult efficaciter aliquid, necessè est, vt velit ea omnia, sine quibus illud subsistere nequit. Nequit autem subsistere deletio peccatorum absque eorum præexistentia, vt per se patet. Ergò habitus quo quis vult efficaciter delere peccata, necessè est vt indiuisim sit habitus volendi peccata vt præexistentia, seu volendi præexistentiam peccatorum.

6. Habitus deletiui peccatorum, neque virtus Theologica esse potest, neque moralis. Ergò nulla nequit esse Theologica, quia motiuium formale virtutis Theologicæ est Deus, seu est indiuisim à Deo. Deletio autem peccatorum distinguitur adæquate à Deo. Quia incipit esse tempore, & inducitur operatione humana. Sed neque moralis virtus esse potest. Quia virtus moralis, ex suo conceptu, consistit in medio inter excessum, & defectum vt docent omnes cum Philosopho. In deletionem autem peccatorum, esto accidere possit defectus; excessus tamen nullus vnquam dari potest. Quia fieri non potest, vt peccata nimis deleantur, cum oporteat ea summè deleri. Verum neque defectus accidere potest iuxta sensum philosophi. Quia vnumquodque peccatum consistit in indiuisibili; idèoque fieri non potest, vt deleatur quidem; sed minus, quàm oportet. Præterea omnis virtus versatur, vel circa passionem, vel circa operationem ad alterum iuxta celebrem virtutum diuisionem ex Philosopho. Habitus autem deletiui peccatorum, nec restringitur ad moderandas passionem, quia delet indiscriminatim qualibet peccata, vt dictum est supra; nec est ad alium; quia vt sua quisque peccata delect, ipsius tantum intest.

7. Vt hic habitus sit virtus aliqua; virtus tamen Pœnitentiæ esse nequit. Primò quia pœnitentiæ

O o 2 est

est specialis virtus distincta ab omnibus aliis virtutibus, & vt talis nominatur, ac laudatur, atque eius actus frequenter præcipitur in sacris litteris. Deinde pœnitentia solis exercetur actibus doloris, fuge, & odij; vt colligitur ex notissima & communiter accepta definitione eius, quæ traditur à Greg. Mag. Homil. 38. in Euangelia, & lib. 9. Registri epist. 39. *Pœnitentia est præterita peccata plangere, & plangenda iterum non committere.* Consonat Ambros. serm. 1. Quadragesimæ dicens: *Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis; quæ quisque commisit.* Vnde Magister in 4. dist. 14. & communiter ceteri definiunt: *Pœnitentia est virtus, quæ mala commissæ, cum emendationis proposito, plangimus, & odimus.* Habitus autem deletiuus peccatorum; nec est specialis virtus, quia non habet materiam determinatam, cum versetur circa omnia indiscriminatim peccata, & consequenter circa materiam omnium virtutum; nec exercetur actibus doloris, & fuge, saltem solis, quia prosequitur, & amat ipsam deletionem peccatorum. Ergo hic habitus non est virtus pœnitentiæ.

Artic. 1. Respondetur virtus dupliciter vsurpatur, prout pertinet ad rem præsentem. Primò pro habitu purè conseruatiuo, ac promotiuo, non per accidens, sed tantum per se boni conuenientis naturæ secundum se consideratæ; seu pro habitu, qui simul cum suo opere exigitur à substantia rationali appetitu innato absoluto. Huiusmodi sunt omnes imprimis virtutes Angelicæ, & inter humanas, quæ vel non sunt reflexivæ, sed directæ; idest quarum motuum est distinctum, atque independens per se ab actibus voluntatis, vt temperantia fortitudo, & iustitia; vel sunt reflexivæ supra solos actus bonos, vt perseuerantia, & constantia. In hoc sensu accipitur virtus à Philosopho in locis indicatis, in 1. & 2. ratione dubitandi vt patet ex eius contextu. Manifestum porro est habitum purè deletiuum peccatorum non esse virtutem iuxta istam eius acceptionem.

Artic. 2. Accipitur rursus virtus magis amplè pro habitu inductiuo actus boni, ac laudabilis, siue actus sit purè promotiuus boni, siue sit etiam sanatiuus, ac emendatiuus mali præexistentis. Istam amplitudinem virtutis complectitur illa alia eius definitio apud philosophum 2. Ethic. c. 2. 6. *Virtus est habitus electivus, secundum rationem rectam, & illa alia ibidem cap. 5. Virtus est habitus bonus, qui bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.* Eodem pertinet definitio Aug. lib. 1. retract. cap. 9. *Virtus est bona qualitas mentis, quæ rectè viuatur, quæ nemo malè vitatur.* Patet autem, ex quæstione præcedenti, habitum purè deletiuum peccatorum esse propriè virtutem iuxta istam eius significationem. Quia opus eius est bonum, ac laudabile, ac proinde perficit subiectum, cui inest vt liquet ex ibi dictis.

Artic. 3. Dicendum verò est absolute cum D. Thoma, quæst. 85. artic. 1. cumque aliis communiter, hunc habitum esse propriè virtutem, quia prior illa Socratica virtutis vsurpatione non est amplius in vsu. Idque iure optimo inductum est. Quia cum homo sit mutabilis, peccabilis, & emendabilis, nec bonus diu esse possit, certè non contingat, vt sit absolute emendationis beneficio, inter maxima eius bona, & sub eodem cum illis nomine censi deberet id, quo emendari potest, atque resurgere à malo. Deinde si habitus emendatiuus peccatorum non esset virtus; nec etiam actus restitutionis, & alij similes, quibus vnaquæque virtus corrigit errorem commissum in propria materia, non essent actus virtutum formaliter, seu procedentes à virtutibus, quatenus virtutes sunt. Quod nemo dixerit. Profecto dici non potest modo loquendi humanæ conditioni, & communi apprehensioni, satis accommodato. Demum

actus pœnitentiæ, quam mox dicitur esse indistinctam ab hoc habitu, præcipiuntur in sacris litteris, Matth. 4. 17. *Pœnitentiam agite, & alibi non semel.* Præcepta autem legis sunt de actibus virtutum, quia, vt dicitur 2. Ethic. cap. 1. *Legislator intendit cives facere virtuosos.* Accedit Apostolum Actuum 20. 2. 1. loqui de Pœnitentia sicut de fide, quam certum est esse virtutem. Dicit enim: *testificans Indæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum Nostrium Iesum Christum.*

Artic. 4. Duplici similiter sensu vsurpatur pœnitentia. Primò purè philosophicè, ac vulgariter, pro retractatione actus præcedentis vel purè affectiua, vel etiam effectiua, sed quoad solos effectus procedentes ab actiuitate physica eiusdem actus qui præcessit. Hoc sensu dicit phil. 7. eth. cap. 7. intemperatum non esse pœnitentiuum, sicuti incontinentem; atque communiter dicuntur pœnitere, quicumque mutant propositum, qualicumque demum sit ratio mutandi. Pœnitentia hoc modo sumpta peragitur ab vnaquaque virtute in propria materia, seu intra sphaeram sui motui, ideòque non conuertitur cum habitu purè deletiuo peccatorum, vt liquet, ex dictis in quæstione præcedenti ad 4.

Artic. 5. Secundò sumitur pœnitentia Theologicè, iuxta sensum scripturæ, & SS. PP. pro retractatione effectiua peccatorum quoad vim demeritoriam, offensiuam Dei, prouocatiuam iræ eius, atque inductiuam priuationis gratiæ, donorum, nec non gloriæ ad tempus, vel æternum. Hunc sensum exprimit subtiliter, ac intimè, Gregorius imprimis Nyssenus in oratione contra eos, qui alios acerbius iudicant. *Quid aliud est pœnitentia, ait, nisi dissolutio, & eversio præteritorum; quæ vel re, vel cogitatione sunt admissa.* Deinde, Hieronymus in ps. 118. ad illud: *Exiit aquarum deduxerunt, &c.* Vera est, ait, *pœnitentia ingiter fletibus commissæ diluere, & abluta non iterare.* Chrysost. Hom. 23. in Matth. *Non aliquod omnino peccatum quod non cedat pœnitentiæ virtuti.* Greg. Mag. lib. 9. registri epist. 39. *Magna est contra peccatum virtus pœnitentiæ.* Multus denique est Augustinus in exponenda, & confirmanda ista pœnitentiæ efficacitate, & scopo præferim tom. 4. lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 2. *Oportet autem, ait inter alia, credi remedium pœnitentiæ à saluatore concedi; remedium scilicet, quo pellitur infirmitas, & redit sanitas animæ, & iterum, Non enim laborat exonerari peccato (per exercitium pœnitentiæ) cui non videtur nimium, ac demum: Nullum peccatum poterit remanere ante pœnitentiam; idest nullum poterit non deleri exercitio & efficacitate pœnitentiæ.*

Artic. 6. Hinc Mag. cum Hieronymo, dist. illa 14. initio; *Si quis inquit, vestem innocentia in baptismo perceptoram, peccando corrumpit, pœnitentia remedio reparare potest.* Consonat Magistro, eumque promouet significantius D. Thomas quæst. illa 85. artic. 1. *Pœnitentia assumit moderatum dolorem de peccatis, cum intentione remouendi ea.* Et iterum artic. 2. *in Pœnitentia inuenitur specialis ratio actus laudabilis; scilicet operari ad destructionem peccati præteriti; in quantum est Dei offensa idem est communis ceterorum Theologorum sensus; nisi quoddam nonnulli non raro interponunt æquiuocationem, & confusionem inter pœnitentiam sumptam priori illo modo pro retractatione purè affectiua, aut etiam effectiua, quoad solos effectus physicos peccati, & inter pœnitentiam sumptam Theologicè posteriori isto sensu in quam versamur pro retractatione effectiua peccati, quatenus est offensa Dei, seu quoad vim eius demeritoriam offensiuam Dei, atque exercitiuam iræ & vindictæ diuinæ. Quo exorbitant, magna ex parte, ab intentione sanctorum PP. Magistri & D. Thomæ infinitum*

instituentium huic soli posteriori significationi, ut videtur.

Artic. 7. Apparet igitur virtutem poenitentiae sumptam Theologicè, & iuxta sensum SS. PP. omnino coincidere cum habitu deletiuo peccatorum quia SS. PP. & ex eorum mente præcipui quique Theologi, ut liquet ex allatis eorum testimoniis, hoc solum munus, & opus adscribunt virtuti poenitentiae tanquam proprium, & peculiarem finem intentionis eius, ut destruat, exanimat, ac penitus aboleat peccata, quatenus sunt offensæ Dei. Hoc autem ipsum est munus, & finis adequatus habitus purè deletiuus peccatorum. Quapropter virtus poenitentiae rectè definitur, si dicatur esse; *Habitus purè deletiuus peccatorum, quatenus sunt offensæ Dei.*

Artic. 8. In qua definitione non adhibetur *Tò purè* ad excludendam ad hac virtute, vim promotionem boni præexistentis in poenitente. Cum enim eliciat actus bonos ac placentes Deo de quorum ratione est, ut sint meritorij saltem de congruo, proculdubio promouent bonum naturæ; tum eam perficiendo per se ipsos formaliter; tum inducendo gratiam amissam per quam expellantur peccata, & sine qua expelli non possunt, tum etiam superaddendo, ut infra dicitur, peculiare augmentum gratiæ ultra mensuram, in qua præexistit, si forte præexistit in eo, quem poenitet. Apponitur igitur particula ad excludendos ab hac virtute omnes prorsus actus, aut adequatè directos, seu non reflectentes supra actus alios, aut reflectentes quidem, sed non supra peccata præcedentia, cum intentione formali delendi illa. Ratione cuius intentionis dicitur poenitentia habitus deletiuus peccatorum additur *Tò quatenus sunt offensæ Dei*, maioris solum claritatis gratia. Nempe in conceptu peccati, iuxta theologicam ac legitimam eius considerationem præeminet ratio offensæ Dei. Unde non possunt peccata dici absolute deleta, nec potest intendi absolute deletio eorum, quin subintelligatur re ipsa ea deleri, & quin intendatur eorum deletio, quatenus sunt offensæ Dei. Quia utcumque quoad alia auferantur, manent nihilominus absolute, dum eatenus manent. Perinde itaque foret poenitentiam definire absque alio addito habitum purè deletiuum peccatorum.

Artic. 9. Ex dictis in ista, & in duplici præcedenti quæstione perspicitur clarè (quod apud nonnullos est valde obscurum, ac implicatum) Poenitentiam esse virtutem speciem distinctam à charitate, religione, iustitia, tum distributiuam, tum commutativam, perseverantiam, constantiam, aliisque eiusmodi virtutibus, vel non reflexiuis ex suo conceptu, vel reflectentibus tantum supra actus bonos. Constitit nimirum poenitentiam esse virtutem purè reflexiuam supra actus malos præcedentes. Distinguitur præterea specie à iustitia vindicativa propriè tali, quæ & ipsa versatur circa peccata præterita. Distinguitur autem ab hac iustitia. Primum, quia per poenitentiam se quisque affligit, nec aliter potest esse deletiuus peccatorum; cum vindicta propriè talis sumatur de alio, ideoque non sit deletiuus peccatorum. Secundò distinguitur principaliter, quia iustitia vindicativa cooperatur motioni demeritoria peccati, & infligit poenam condignam peccato; Poenitentia verò illam delet; ut dictum est, & consequenter impedit hanc poenam. Distinguitur demum quia vindicativa ut talis non tam consultè bono punientis aut puniti, quam aliorum; cum poenitentia directè faveat poenitenti, cuius, scilicet præcipuè interest deletio suorum peccatorum. Itaque habitus poenitentia est propriè virtus, eaque specialis, ac distincta specie ab omnibus aliis virtutibus, quæ

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. II.

aliis omnibus communiter designantur, & quarum motuum formale non est bonum deletionis peccatorum, ut sunt offensæ Dei. Quæ est opinio, quoad utramque partem, longè communior D. Thomæ. l. c. & aliorum aduersus Caet. Suarez & nonnullos alios ibidem.

Artic. 1. Ad 1. P. Gabriel. Vasquez quæst. illa 85. D. Thomæ, artic. 1. toto dubio vnico inuehitur actus, & fusè in doctrinam illam Philosophi. Verum est valde probabilis, quàm itidem impugnatur Vasquez, interpretatio ipsius Diui Thomæ in eodem artic. 1. ad 2. de verecundia, ut est passio, aut motus indeliberatus voluntatis. Nempe verecundia sumitur communiter pro passione, seu motu appetitus sensitiui, vel etiam rationalis, sed indeliberato, quæ excitatur ex apprehensione periculi infamationis, & iacturæ bonæ existimationis, ac honoris propter factum turpe, & transmittit spiritus, & sanguinem in partes exteriores, maximè verò in faciem, ad eum utique modum quo timor exurgens ex apprehensione periculi vitæ, transmittit eisdem spiritus, & sanguinem in cor. Nempe bonum, & malum extrinsecum honoris, & infamationis pertinet ad partes exteriores maximè verò ad faciem, quæ est præ cæteris conspicua, ideoque quodammodo magis exterior; sicut vita pertinet ad cor, tanquam ad principium, & sedem ipsius vitæ. Quæ est naturalis ratio vtriusque eius effluxus vniiformiter difformis. Verecundia hoc modo sumpta, uti probabile est sumi à philosopho, certissimè non est virtus; de cuius videlicet ratione est deliberatio, & electio; sed est laudabilis, seu passio, seu motus indeliberatus voluntatis; utpote retrahens plerumque ab opere turpi: Idem porro dicitur proportionaliter de motu indeliberato poenitentia.

Artic. 2. Verum longè probabilius est virtutem, eo loci sumi à Philosopho, pro dispositione perfecti excludenti ab ipso, omnem defectum moralem, tum præsentem, tum futurum, iuxta significationem virtutis expositam supra artic. 1. ad quæst. & contentam in secunda obiectione; ideoque nomen, & rationem virtutis negari verecundia, non solum indeliberata, sed etiam deliberata, & timenti infamationem cum honesta mediocritate; Atque in hoc sensu poenitentia quoque negari similiter debet nomen, & ratio virtutis, ut dictum est in illo artic. 1. Verum quia poenitentia communiter sumitur, non pro motu indeliberato doloris, & tristitiæ de malefactis, sed pro deliberata, & honesta eorum detestatione; atque virtus, iuxta communem loquendi modum imò, & vnicum iam apud omnes, amplectitur promiscuè omnes habitus honestos, & laudabiles, ut dictum est supra artic. 2. & 3. propterea poenitentia absolute dicenda est virtus, licet talis absolute non dicatur verecundia. Ex quibus patet etiam ad secundum.

Ad 3. Non solum habet rationem virtutis habitus congruens virtuosissimo simpliciter, nullaque facta suppositione accidentali; sed etiam qui congruit virtuosissimo cum quadam limitatione, & post suppositionem accidentalem, ut apparet ex dictis supra. Substantiæ autem peccabili, maximè verò ei, quæ iam peccauit, ita congruit habitus emendatiuus, ac deletiuus peccatorum, ut sine ipso virtuosissimus esse nullatenus possit; cum non possit esse optimè dispositus ad suum vltimum finem consequendum, in qua optima dispositione consistit ratio virtuosissimi. Distinguendum itaque est de virtuosissimo tum simpliciter, ac inuariabiliter, tum ex suppositione, & variabiliter.

Ad 4. Stultum quidem est conari ne fuerit quod fuit. Non tamen est stultum conari, ut non perseveret habitualiter, quod actualiter præterit, & ut de præsent.

praesenti, ac imposterum impediatur effectus eius mali; atque ut tollatur ac extinguatur postea proxima inductiva eorundem effectuum. Hoc autem secundum intendit non primum habitus deletivus peccatorum.

Ad 5. Sicut is qui vult transire de vno loco in alium, habet actum, qui simul, ac indivisus est volitio, & prosecutio, respectu termini ad quem, volitio vero ac fuga respectu termini à quo: ita qui vult deletionem peccati; idest transitum à peccatore iniustum, habet actum, qui simul ac indivisus est volitio, & amor respectu gratiae, quae delet formaliter peccatum; nolitio vero, & odium respectu peccati, quod deletur formaliter per gratiam. Quia propter voluntas delendi peccata non est pura prosecutio, & amor, uti supponitur ab authoribus argumenti cum magno veritatis, & claritatis in tota ista re, prauiudicio, sed simul est detestatio, & fuga respectu diversorum, nempe respectu gratiae, & peccati. Itaque necesse quidem est praexistisse peccatum, ut detur eorum deletio. Nec enim destrui possunt, quin extiterint. Necesse nihilominus nequaquam est, ut volens deletionem peccatorum, eo ipso velit peccata. Quia peccata dantur independentes à tali voluntate, solumque desinunt esse vi eiusdem voluntatis. Quae autem ita sunt necessaria ad aliquid inducendum de nouo, ut iam praesupponantur aliunde praexistencia, necesse nequaquam est, ut sint volita à volente illud inducere, maxime si simul velit haec alia destruere, atque radiciter, quantum fieri potest, conuellere. Quod est nimis ex se manifestum, & potest pluribus exemplis facile illustrari, illustratumque à nobis est in re simili, sed digniori quae explicaretur quæst. 31. de Deo ad 4. Circa istud argumentum videri possunt mirabiliter multa quae nos ad haec pauca coegerunt, apud Card. de Lugo disputatione 2. de poenit. tota sect. 3. & apud Dicastillum, qui impugnat Cardinalem ex professo disp. 1. dubit. 2.

Artic. 1. Ad 6. Habitus deletivus peccatorum non est virtus Theologica, sed moralis. Quia finis eius proximus, ac immediatus est quid creatum, ut patet ex dictis. Est autem virtus ad alium, scilicet ad Deum, & reducitur ad virtutem iustitiae commutativae, non tanquam pars eius subiectiva, sed tanquam potestativa. Habet enim peculiarem cum ipsa similitudinem, quatenus deletio peccatorum fit per satisfactionem, quae exhibetur Deo loco poenae illis debita, qua in re apparet ratio, & imitatio quadam restitutionis reparantis aliquo modo inaequalitatem constitutam, per peccatum inter Deum, & peccatorem.

Artic. 2. Virtus autem iustitiae proprie talis constituit medietatem inter duo extrema vitiosa, nempe inter plus respectu vnius, & minus respectu alterius; non tamen inter duo vitia; ideoque vnum tantum habet vitium, contrarium iniustitiam ut expositum est quæst. 9. de iustit. In hunc igitur modum poenitentia imitatrix iustitiae versatur inter duo extrema vitiosa, quae insunt peccato, & fouentur per impoenitentiam, quorum alterum est plus indulgere peccatori, quam par est, alterum vero obsequi similiter Deo minus, seu potius non obsequi similiter. Vitat vero poenitentia haec extrema agendo ratione contraria, atque ita constituit aequalitatem secundum quid inter Deum, & peccatorem; solumque habet vnum vitium contrarium impoenitentiam, qua peccator per defectum ipsius poenitentiae, idest per defectum praedictae aequalitatis secundum quid.

Artic. 3. Nempe in constituenda eiusmodi aequalitate, in delendo peccato, & in exhibendo satisfactionem, non potest peccari per excessum ex parte

obiecti, siue ex parte eius deletionis, & exhibitionis, & rei deletae, ac exhibitae; sed tantum ratione alicuius circumstantiae. Quo pacto peccari potest per excessum in materia etiam virtutis Theologicae, & per defectum peccari potest, non quidem delendo peccata partialiter saltem quoad culpam; bene tamen non delendo simpliciter. Quod ipsum est minus agere respectu Dei, quam postulet ius eius, & dignitas. Nempe minus, quod est proprium iniustitiae, consistit in defectu adaequationis respectu iuris & dignitatis conuenientis alteri. Omne porro ius Dei est ius ad bonum pure decens respectu ipsius; vile vero respectu nostri tantum, uti saepius expositum alibi est. Unde, quod deletio peccatorum soli sit vilis delenti, non tollit quin habitus deletivus eorum sit absolute virtus ad alium, videlicet Deum.

Ad 7. Esto habitus deletivus peccatorum. habeat materiam valde amplam, ac vniuersalem; motuum tamen eius formale est omnino particulare, & contractum ad vnicam speciem infimam, ut expositum est supra. Specialitas autem virtutis dependet ex sola specialitate motui formalis. Deinde actus huius habitus continet in se dolorem, & fugam coniunctam cum prosecutione, & amore, ut paulo prius dicebatur. Explicatur vero poenitentia potissimum relate ad dolorem, quatenus hoc praedicatum est notum propter adiunctam passionem, ex qua lacrymae, & corporalis immutatio existunt formaliter. Ceterum subintelligitur semper prosecutio deletionis peccatorum. Quia poenitentia peragitur dolore purificante cor, & lacrymis lauantibus, ac extergentibus maculas peccatorum, iuxta illud ps. 6. 7. *Laboravi in gemitu meo; lauaui per singulas noctes lectum meum;* quae subintelligentia apparet manifeste ex testimonio superius productis art. 5.

QVÆSTIO LXXVI.

Utrum virtus poenitentiae sit supernaturalis ex conceptu suo?

Videtur esse supernaturalis ex suo conceptu, nec dari, aut esse possibilem virtutem vllam poenitentiae intrinsece naturalem. 1. Quia, cum Philosophi, ac praesertim Aristoteles egerint quam diligentissime de omnibus, & singulis virtutibus moralibus; nullibi tamen poenitentiae meminere. Imò Tullius relatus à Laet. Firm. lib. 6. instituit. diuin. cap. 24. aperte negauit *vitam deuiam secutos corrigere errorem poenitendo posse*. Ergo virtus poenitentiae praetergreditur limites rationis naturalis, ac proinde naturalis esse non potest.

2. Poenitentia est donum Dei, & nemo potest poenitere prout oportet, nisi ex gratia Dei per Christum, ut probat inter alios Canus relect. de poenit. 2. p. concil. vlt. ex August. cap. 31. de fide ad Petrum, & lib. 3. contra Iulianum cap. 3. Leo Epist. 69. Caes. Pont. in Ep. ad Episcopos Galliae cap. 4. 8. & 9. Idem definitur expresse semel atque iterum à Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. & 7. & can. 2. de iustif. Colligitur etiam aperte ex 2. ad Rom. 4. ex 2. ap. Timoth. 2. 25. ex Hieremia. 31. 19. cum D. Hieronym. ibid. Donum autem Dei, & quod fieri non potest nisi ex gratia, non potest naturaliter haberi; ac proinde nec naturale esse potest.

3. Ex peccato semel commisso resultat eius memoria causatiua confusionis & doloris aeterni, cumque causatura necessarium, si tantum illud malum nunquam compensetur per bonum aliquod ipsi aequale. Bonum autem aequale malo, quod inest peccato, nullum